

## IN SYMBOLVM APOSTOLORVM

**1.** **A**ddidit ergo, **unicum**, vt hunc natura filium dei, secernat a filiis adoptionis dei. In scripturis enim frequenter homines prius appellantur filij dei, at non natura. Natura enim omnes nati sumus filij iræ, sed dignatione adoptionis. per fidem in Christum, facti sumus filij dei, quemadmodum Iohannes ait: Dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius, quum Christus nunquam non fuerit natura filius dei, deus de deo. Itidem Paulus Apostolus: Prædestinavit inquit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. Et iterum Roma. viij. Accepistis spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, Abba pater.

Esai. i.  
 Iohan. i.  
 Roma. 8.  
 Roma. 5  
 Iohan. i.

Ephe. i.  
 Roma. 8

**2.** **S**ecundum ergo hanc priorem generationem, Christus non frater est nostri nec hæres dei, nec fratres habet nec cohæredes habet. Quamquam etiam vel ob id filius vnicus recte asseritur, quod licet sit deus & homo, duabus naturis, deitate ac humanitate constans. Sit etiam bis natus, vnus tamē filius sit. Non enim duos fatemur filios, sed deum & hominem, vnum filium credimus, manentem in duabus naturis, non tamē confusis. Et quamquam duas habeat natiuitates. Vnam, qua nascitur ex patre sine tempore, alteram, qua nascitur ex virgine matre, tempore præfinito a deo, non tamen duo, sed vnicus est filius, non alius, sed idem aliter natus.

Augu. de ec  
 cle. dog. c. 2

Duz Chri  
 natiuitates.

Cur Chri  
 passim dñs  
 in scripturis  
 appelletur.  
 Chri  
 dñs, quaten  
 deus.  
 1. Corin. 3

Chri  
 dñs,  
 quaten  
 hō.  
 Ephe. i.

Philip. 2

Matth. vii.

**Dominum nostrum**, Filius in scripturis frequenter dominus appellatur, quod cognomen in Christum competit, non tantum iuxta alteram, sed vtranque naturam & diuinam & humanam. Quatenus enim est ab æterno deus de deo, dominus est omnium, non alius dominus a patre, quemadmodum nec alius deus. Et si enim dicuntur alij domini, concessa & impartita, non ingenerata potestate dicuntur. Hic vero solus est vnicus filius, & solus vnicus dominus. Sicut Apostolus dicit: Vnus pater deus, & vnus dominus Iesus CHRISTVS, per quem omnia. iuxta assumptam vero naturam, per crucem, mortem & ignominiam promeruit intrare in gloriam patris, omnibusq; sibi subiectis, constitutus est ad dexteram dei in cælestibus, super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et vt alibi Paulus ait: Datum est illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Vnde ipse apud Matthæum dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et vt humanitati Christi